


frator, filio cognominis, D. FRIDERICUS WILHELMUS, perincluti Wirtembergiæ Ducis, D. CHRISTOPHORI filiam, D. SOPHIAM, dilectissimam habuit uxorem; alter vero Dn. JOHANN-GEORGIUS I. Saxonicus Elector, summa uterque nomina meritis Princeps, Augusti Principis, EBERHARDI nostri, amicitia honoratissima, D. SYBILLÆ ELISABETHÆ, conjugali nexu fuit devinctus. Quamquam abs hac propinquitate si foret, nihil ramen obstaret, quo minus in hoc Minervæ sacrario, Principum, Comitum, Dynastarum & Equitum juventæ speciatim dicarō, tam præcelsi sanguinis summæque spei Princeps, ex illa veneratione, quam tantis fastigiis ac virtuti omnes merito debemus, meritis præconiis extolleretur; ad quorum publicationem, complures, eaque satarduæ, rationes Generosum PFLUGIUM extimularunt. Nos ergo, quod unum superest, de inclutæ domus orbitate sicut ferio dolemus, ita defuncto, & nunc beato, Principi istum memoriæ cippum venerabundi gratulamur, tandemque cunctos, in vicina nobis Academia, literarum præsides & cultores, quemadmodum nostros quoque cives, ad audienda hæc elogia, prædicto tempore loquoque, reciprocationem officiorum polliciti, cupimus exoratos. Propositum sub Palladio munimine sigillari, Die XVII. Januarii ANNO M. DC. LXIV.



FELICITAS GUELPHICA
PANEGYRICUS
SERENISSIMO CELSISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO

AUGUSTO
BRUNSUICENS. ET LUNÆ-
BURGENSIUM DUCI
DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

IPSO

SERENITATIS eiusd.

NATALI LXXVI.

PUBLICÈ

In Academia TUBINGENSIS
AULA, quam vocant, NOVA

Subjectissima devotionis causâ

DICTUS

ab

ENOCH Glasern / SILESIO.

a. d. X. Aprilis, A. R. O. M. DC. LIV.



NORIMBERGÆ,

Typis CHRISTOPHORI GERHARDI, Typog.

M. D. C. LIV.

FELICITAS GUEPHICA
P A N B G Y R I C U S
SERENISSIMO
PRINCIPIS AC DOMINO
DOMINO

AUGUSTO
BRUNSWICENSIS ET LUNE-

AUGUSTO DUCI SERENISSIMO

HEROI INCOMPARABILI

S.



367632

RECTOR. UNIVERSITATIS TUBINGENSIS.

Cum debita honoris Praefatione, Lectoribus Salutem.

Causas profecto non contemnendas habemus Academia nostra hoc tempore prolixè gratulandi, quod depulsis dissipatisq, atrocissimi belli tenebris, sub restituta pacis auroram, decora subinde se representant ingenia, quae post praeclaras artes alias ac disciplinas, quibus sapientia parantur animi, eloquentia etiam attendant: ut non de rebus gravibus modo ac necessariis, ad instruendam et excolendam vitam humanam, ornatè et copiosè differere; sed et Principes viros et de communi re clarissimè meritos posteritati dignis commendare laudibus possint. Quò sicut merita eorum ac beneficia aeterna sunt, ita et ipsi immortales fiant commemoratione virtutum, quibus freti tam magnas atq, ingentes res toto vita curriculo gesserunt. Ad Diem enim crastinum, quem supremum nobis Numen illucescere faustum fortunatumque velit, ejusmodi Principis Sol reducet Natalem, qui ingentibus virtutum meritis, et inusitata literarum gloria orbem universum laudi suae vestigalem reddidit. Is est Serenissimus et Excelsissimus Princeps ac Dominus, Dominus AUGUSTUS Dux Brunswicensis ac Luneburgicus, Dominus noster clementissimus, qui tam praeclare de orbe Christiano meritus et dignus omnino est, ut perpetuo vivat, certè non nisi serus humanis rebus excedat. Hujus AUGUSTI Principis virtutes incomparabiles et humanae conditionis terminos supergressa, et illa nullis unquam laudibus depraedicanda satis merita, quibus Germaniam et Rempublicam sibi obligatione sempiterna devinxit, merito merentur, ut grata commemoratione propagentur ad posteros, et ab oblivione quacunque licet ratione, vindicentur. Neque enim excelsis illis animis, aut major aut verior praestari honor potest, quam qui in admiratione, virtutum positus in praeclara luce

luce versatur, quæ in omne deinceps ævum illustria exempla dividant. Porro dies, qui affulgebit, crastinus, est dies anni supra septuagesimum sexti, ex quo Numen beneficum tanti Principis exortu Aulam Guelficam beavit, & tam illustre cæli depositum primum indulgit & commodavit terris. Et sanè quinquagesimus jam annus labitur & feliciter procedit, cum devolutum in illustrissimos humeros aviti Principatus clavum regere, dirigere coepit. Quæ felicitas raro divinitatis privilegio hodie concessa Principibus est, & inter hodiernos Summates nemo est assecutus. Quæ suis revera numeris absolvitur, quod non modo famosum terroribus ac discrimini- bus ex lege scansili annum, usq; adeò sine clade & maleficio prætervectus, ut fugitivi instar elapsus magis, quam hostis in morem incubuisse visus sit. Et quanta hæc felicitatis prærogativa censerì potest, quod sospitem hodie, quod incolumem cernere licet Florentissimum Principem, ea præsentia spiritus, vigore animi, corporis firmitate ac robore, ut nisi canities ætatem proderet, senem nemo putaret. Itaq; cum valetudinem illius inconcussam & integram contueri licet, non possumus non admirari, istorum subditorum felicitatem, qui talem natum sunt Principem, cui nec in minore ætate, dum olim Academia Tubingensis fasces moderabatur, defuerit unquam senilis maturitas, & nunc in granditate ista annorum, virile adhuc suppeditet robur. Est præterea proluxa hæc divina benignitatis tessera, quod, plures Principalis Sobolis propagines in Augusta Domocernere est, & regii floris in Regia familia ingentè thesaurum. Quid natos memorè tergeminas illas spes atq; oculos Reipublica? Quid illustrissimi nominis filias? Quæ prosperitatis seges efflorescit, dum ex filio illustrissimo RUDOLFO AUGUSTO paternarum virtutum spirante imagine fortunato auspicio cū CHRISTIANA ELISABETHA BARBIENSI Comite, copulato, Avus jam factus satiare possint animum florentissimæ Neptis jucundiore intuitu? Quanta materies exultationis? quod FRIDERICO Wirtembergiæ ac Teccia Duci enupta feliciter filia CLARA AUGUSTA, sexus sui exemplar, eandem quoq; letitiæ causam

causam præbuit fortunatissimo Principi, ut, nato recens ex eadem filia Nepote, iterum Avus salutetur. Quo felicitis matrimonii nexu tam arcta conferruminata catena est cum Flore Wirtembergico Domus Guelfica; ut hujus illiusq; splendor gloriam salutemq; perennem spondeat optatissimam, nec nisi cum hoc orbe intermorituram æternitatem.

Quodcum non ignoraret Clarissimus & Eximius Juvenis Dn. ENOCH GLÄSER, SIL. Juris Cand. præstantissimus Orationem privatâ abs se conscriptam opera Panegyricâ publicè recitare, eaq; incliti Principis memoriam laudabili devotione constituit venerari. Quare omnes Academia nostra civis seriò adhortamur, ceteros Doctores Professores & Musarum cultores officiosè rogamus, ut crastino die, qui erit decimus Aprilis, hora nona antemeridiana, in Aula Nova præsentibus adesse, & pro egregii ingenii copia de summo Musagetæ eleganter & doctè peroraturò auscultandi operam navare prolixè animum inducant. Ac excitare quidem vestrum studium verbis nostris, ut dicentem frequenter & benevolè audire velitis, opus non erat, cum sua cuiq; pietas & devotus in Serenissimum Principem AUGUSTUM affectus plus satis stimuli ac incentivi præbere posse videretur, amen ne quid à more & consuetudine Academia alienum committeremus, non præter rem videbamur facturi, si ea de re vos diligentius commonefaceremus. Oratorem autem nostrum non est ut ambitiosè commendemus. Tuebitur is, quicquid ante meruit laudis, vel augetur. Quanquam hic non tam facundia quam officioso pietatis affectu voluit censerì. Valete P.P. sub Rectoratus Sigillo, V. Eid. April. Anno M. D.C. LIV,

Magnum est quod aggredior. Dum enim de summo PRINCIPE verba facere instituo, ecquid est aliud quam infanti adaptare cothurnos? Anne persuadam vobis, A. A. aut egomet credam ipse, me tantà esse instructum ubertate Eloquentiæ, ut quædam & sacrà hâc luce & vestris quoq; digna auribus proferre possim in mediû? Angor animi, & quò flectendus infirmæ ratis cursus anceps & perquam hæreo dubius. Neq; tamen absq; ullà dictione prætermittenda videtur DIES, cujus solennitatem non potest non, qui bonus est, vel tacito mentis cultu suspicere. DIES, qui fausto Serenissimi & Celsissimi Principis ac Domini, Domini AUGUSTI, Brunsvic. & Lunæburgensium DUCIS ortu inclitus & ipse sese ostendit, & novo radiorum apparatu ad faciendâ pro se vota invitare vel invitos possit. Dico Vota. Et hoc cum verbo erigere se animus & aliquid de se incipit polliceri, quod non inani temeritatis vento turgidus enarrare coelestes tanti Herois laudes, aut in æterna Illustris Domûs GUELFICÆ nomina operosè inquirere secum constituit, sed pro Ejus potius salute supremum Numen sollicitare laborat intensissimè. Notum est, quid honoris summorum Principum Geniis dedicatum olim. Et quis ignorat solennes non rarò eundem in finem Ludos fuisse institutos, quibus singularis hæc causâ Natalitiorum quoq; nomen peperit. Quin & pari festivitatis genere laudatissimi Aula Principis perstrepat, dubitare non possum, cum ad peragenda devotionis Sacra ars omnis meritò famuletur. Sed apud nos illorum nihil. Nisi fugitivis Spectaculorû pompis & imaginibus comparanda censeas, quæ à doctis hinc inde eriguntur monumenta literaria. Sed à talibus, qui, ut cælo proximi, ita nō nisi à cælo labentibus seculis commodantur. Nobis in præsentiarû gratulatoriæ sufficiant voces. Et cū lætitia, ut ille loquitur, in se soleat esse facunda, quidnî sperē fore, ut & mihi quædam suggerat verba singulare gaudium, quod cum festo hoc die natum in vestri modò me conspectum deduxit.

Erat hoc moris apud priscos Quirites, ut, quandoquæq; solemnia concipere vellent vota, illud non nisi in Capitolio facerent. Quid arbitramini, Auditores? Quæ à me suscepta

jam

jam sunt, numnè melius, addam & opportunius & auspiciatius nuncupari possint, quàm in publico hoc, eoq; splendidissimo Consessu, in celeberrimo doctorum certaminum Amphitheatro, aut verè nobili potius Musarum, cognatiq; Apollinis Aulâ? FELICITATEM Diei & Nominis GUELFICI dum expendam, coràm omnibus fieri interest, quia ad omnes ejus laus dudum pervenit. Agam itaq; & cum sermone, si non ipsis tholis, quos vix licet pertingere, parietibus tamen hisce & peristiliis suffigiam votivas tabulas, ut constet quid Pietatis in me restet ergà Maximum Principem, & patefiat insimul, non esse nefas, eos, qui in excelso positi sunt, ab exteris quoque pro viribus celebrari. Vos modò, A. A. quem honorificentissimâ præsentia semel contestati estis, ulterius porrigite favorem, & ei animam quoq; addite, qui ex vultuum vestrorum gratiâ vix dum collegit aliquas vires.

Solent hujusmodi dictiones non absimiles esse vasis fictilibus. Hæc, nisi solarium radiorum virtute durentur in usum, concident facilè & inter manus hærebunt. Vereor ne idem nunc accidat. Fovete igitur, roborate, sustinete benivolentia dicturum, & grata quasi attentionis vestræ apricitate inconcinnum opus ipsi perficite. Ita quam humiliter à singulis oro & obtestor.

Jamq; , ut ad ipsam rem descendam, ex quo potiori jure capiendâ dicendi initia, quàm ab ipso hoc die, qui dicendi præbet causam? Sanè, nolim præterire clementiam summi Numinis, quippè quo Autore factum, ut gloriari de fortunatissimâ tanti Principis in has auras productione possit. Factum omninò ipsius providentia est, ut hic post alios terræ tandem Guelficæ tanquam novum jubar accederet, vitamq; redderet, quam immani ferocientis Bellonæ truculentia fermè amissam querebatur. Neq; ambigendum summos principes, qui Deo similes, cujus cum imagine vicariam quoq; potestatem gerunt, non nasci, nisi singulariter ita disponente DEO. Sed cui secundum hanc Numinis benignitatem adscribamus debita declarandæ Felicitatis fundamenta nisi huic luci, quam DEUS ipse dignam judicavit, ut tanto in orbem ferendo munere nobilitaretur?

Non

Non est meum, nec hujus loci forte an, inquirere operosius, quid veri falsique afferant, qui certis circa Natales hominum sideribus adscribere suas virtutes solent, & ex faustis eorum adspectibus Felicitatis subsequatur augmenta dijudicant. Si tamen subsit, quod non eludat fidem, quis non felicia prædicet ea astra, quæ ex orienti huic sideri affulserunt primitus, & debitas quæ prætulere faces?

Rectè sidus appellavero, quod fulgoris sui claritate non hodiè modo utrumque orbem afficit, sed circa primos quoque ortus desiderati annos longè lateque statim diffudit radios. Prohibet oris minus diferti infantia, quò minus enarrare ordine & producere in circum liceat divinas animi Principalis dotes, quibus vel in ipso teneræ Juventutis lusu virilem sapientiam longè est supergressus. Nec Encomiastæ personam propriè jam sustineo, quippè quod munus altius est, quam ut à me capi, vel aliquis ex podio, qualem me libenter fateor, exequi queat. Veni in testimonium Italia, & , quam Italiæ pedissequam vocaverim, Sicilia. Adfiste assertioni nostræ Gallia, succurre Anglia, adesto Belgium, celebratissimæ Regiones, quæ inter primas felicitatis vestræ partes numeratis, AUGUSTUM Guelficum olim hospitem habuisse.

Loquere pro me illarum omnium Regina & Princeps Germania. Nonnè tum temporis officiosè coluisti, quem jam veneraris insigniter? Ita ut faceres, meritò suadebant præclaris nisus, quos expectabas à viro; ab Adolescente vero Tibi offerri, non absque stupore, sed & cum gaudio animadvertebas. Quocumque aliàs nomine audiat Fama publica, in eo tamen mereri laudem videtur, quod circa enarranda laudatissimorum animorum facta vigilare cum maximè, eorumque præconia orbi sistere tam sollicitè suevit. Et interest, æstimari præ aliis ingenia, ex quibus, quia supra communem vulgi naturam evecta, flammæ divinitatis paulò maturius elucet. Si jam ex Illustri sanguine prodeant, eò observantius decet colere, quod major semper virtutis splendor soleat esse conjunctus. Solet quoque virtus ipsa eò sese exerere felicius, quò nobiliori in animo hæret; non secus ac Sol, quem astrorum

non

non rarò vocamus Ducem, eò micat ferventius, fortiusque orbem terrarum illustrat atque fovet, quo altiore in fornicatâ cœli machina conscendit gradum. Non ergò non potuit non notare tantum, sed & commendare statim omnibus, quæ in uno, & quidem Principe, admirabatur Fama buccinatrix.

Pergerem ad alia, A. A. nisi hic locus interpellaret quodam modo. Et quid? Nonnè vos ipsi monirore vultu videmini idem facere? Nec immeritò. Ante omnes omninò in testem vocanda eras, inclita hæc Academia Tubingensis. In Tuo, si in ullius, animo adhuc hæret indelebilis AUGUSTI Guelfici recordatio; dulceque & optatum, quod gratam ejus hodie liceat osculari memoriam, cujus olim quoque regimen adorasti. Submittebas enim Te illius imperio, quem ad imperandum esse natum, artibusque imperatoriis sufficientissimè instructum videbas, quamvis Juvenem. Et spontè Te submittebas, quia facile erat prævidere gloriam, quæ à gloria tanti Rectoris olim esset in Te felici alveo redundatura. Mallem ut ipsa referres, insignem, quam adhibuit in gerendis tuis fascibus, prudentiam. Sed pro Te id faciunt, quæ cottidiè ingredimur, Auditoria publica. Loquuntur docta hæc subsellia. Quæ, ut Augusti oris suavitate plus semel perfusa, ita non desinunt iterato sono repetere, quibus ipsa antè hos ferè sexaginta annos non sine jubilo personuerunt. Benè vobis, laudatissima pulpita! Benè gratis conatibus vestris! immò jam lætiore plausu resonare, quod mea, licet balbutiente, voce provocamini. Inunc, quisquis es, & hanc lucem præ aliis felicissimam immeritò prædicari temerè Tibi persuade; ut quæ tanti Principis exortu nobilitata est, quem ipse quidem curiæ prædixerunt; primi autem anni jam tum demonstrarunt verè Magnum. Frustra mihi fictitium aliquem Herculem laudaveris, qui elisione anguim infantiam, aur aliorum monstrorum subactione adolescentiam suam illustrem reddidit. Hic non cum centauris, sed cum barbarie jucundum iniens bellum superavit feliciter, antequam superare posse crederetur; & vicit, quia nullis vigiliis, nullo labore, nullo studio vinci unquam potuit. O dignum animo Principe & verè nobilem Triumphum.

B. Nisi

Nisi præter hæc Regionibus nunc inclitis, quibus tanti Nominis Atlas legitimâ quidem successionis lege, sed singulari simul favore Numinis corrigit, gratularer ex animo, videre possem aut minus rectè de felicitate ipsarum sentire, aut nescire prorsus, in quonam præcipuus Felicitatis describendæ cardo vertatur. Qui terrarum laudes hinc inde consignant literis hoc in usu habent positum, ut inter præcipua temperiem aëris locent; vel à situ ipso, à fertilitate, urbiumq; & arcium structura; cives verò & in colas à præstantia, divitiis & quibuscunq; aliis commendent. Nihil horum deesse videas vel uni Guelficæ Regioni. Neq; tamen videntur omnem absolvere felicitatis partem A bono Principe secundum Deum expectanda & æstimanda quoq; rerum fortuna. Qui nisi tanquam tutelare aliquod numen servetur terris, desideratæ sortis vix consequentur terminum. Non Tiberii, non Neronis, non Caligulæ aut alius alterius monstri artibus florere res Romana, quamvis prius florentissima, potuit. Sed Augustum, Vespasianos, Trojanum, Adrianum, hisq; similes nacta Rectores, stetit non tantum, sed aucta succrevit prosperrimis. Alfonso, Arragoniæ Rex, cum de Subditorum moribus institueretur disquisitio, ut herbas, dixit, quasdam ad Solis motum: Sic populares ad Principum mores verti. Prudens & laudabilis assertio. Addamus nos & fortunam populi. Hanc enim ipsam quoq; ad Imperium Principis exurgere & secundum ipsius instituta, quæ Regulæ instar sunt, mensurari jam est in propatulo. Felicem igitur Te, Guelfis incluta, quæ AUGUSTO sole illustraris indies & firmaris constanter! Felices vos, Cives Guelfici, qui in Augusto Principe, Principe & Domino vestro vivum vitæ virtutumq; habetis Exemplar; imò divinam aliquam Cynosuram. Dixi Exemplar & Cynosuram, Felices, cum illud exprimitis! Felices cum juxta hanc dirigimini! Sed quid per utrumq; intelligam exprimendum forte clarius.

Cynosuram voco pietatem, pro Deum! quanti momenti virtutem! Sed quæ in nullius unquam animo firmiorem sibi fixit sedem, quam in AUGUSTO hoc pectore. Ut vel ab hoc si redires in lucem divine Stragiritæ, dicere novo experimento posses, curam rerum divinarum in curandis civilibus rebus primam esse & antiquissimam.

Primum

Primum & antiquissimum sibi habet Pietatis intemeratæ Studium, dum noctes diesq; in id incumbit, ut verus erga DEUM cultus perpetuus sit, nec sacra res ullum unquam capiat detrimentum: quemadmodum in multis aliis sic hæc potissimum in parte similis Constantino Magno, Theodosio, Honorio, de quibus eadem laudant Annalium conditores.

Quid memorem Publica, quæ hoc satis evincunt, testimonia & monumenta? Refert quidam ex præcipuis Prudentiæ Magistris, Roberti Galliarum Regis exemplum, qui templum Scholasq; adierit, & inter illa locum sibi sumens non pauca ipse comprehenderit scripto, quæ in Ecclesiæ usum & informationem facerent, eaq; proposuerit publicè. Idem prorsus in AUGUSTO Heroe mireris, qui non tantum per Doctores primæ cavæ, sed proprio quoque stylo & calamo erudit haecenus suorum animos, & in id enisus est unicè, ut per clariorem oraculorum divinorum interpretationem ad futuræ spem gratiæ eò facilius deduceretur. Quid est sub Principali schemate Parentis personam agere si hoc non est? Nimirum non modò corpora & facultates subditorum defendere atq; tueri, sed animas quoque ipsas curare, earumq; saluti prospicere oportet, qui veri & boni Principis sibi competere velit nomen.

Transco jam. Et afficit sanè mentem aureum summi Principis apud non ignobilem scriptorem effatum, Pietate, iniquitatis, & Justitia Principes Deos fieri. Fiunt utique; cumq; hæc duæ virtutes sororio quasi nexu conjunctæ invicem sint & copulatæ, quis ambigat & cives ipsos Divinitatis evasuros participes, si hac se flecti; illa vero moveri animos patiantur? Nō possum, quin iterum vobis acclamem, incolæ Guelfici. Felices vos, qui in Principe & Domino vestro tam perfectum quoq; cernitis Justitiæ illibatæ Exemplar! Amplectimini hoc & inspicite curisus. Videbitis tanquam in speculo omnem eamq; purissimam beatitudinis vestræ imaginem. Sermo autem non de est eâ tantum parte, quæ in negotiis vestris dominetur; sed de tota absolutissimæ virtutis compagine, quam perfectam Justitiâ prudentiores dudum appellarunt. Huic uni debent incunabula sua honestæ Leges, quæ sunt anima civitatis; & ab hæc unâ proficiscitur, quod vobis quoque tam liceat esse beatis,

B 2

ut de

ut de proscrip̄ta communis seculi labe usitatisq; passim horribilium vitiorum sordibus triumphare liberaliter & absq; ulla Jactantiae nota de salutis augmento possitis gloriari.

Malo intra brevitatis cancellos me continere, qua sola, A. A. vobis placere gestio, alias immensus jam emeticendus esset dicendi campus, si in ipsa Tribunalia & curias; Aulamq; ipsam & atria Magni Principis; horumq; & illorum laudes descendere velim penitius Sufficiat felicibus sub tanto auspice subditis tam æquam gratulari sortem & admirari potius quam rimari temerè, quæ meū hominis de plebe captum superant & longè transcendunt. Hoc unum prætereundum non est, quod inter præcipua meritò referam cimelia & publicæ Tranquillitatis insigniam nomine, Magnum certè & inæstimabile bonum. Ut enim inter parietes privatos non gliscant simultates & odia, non mutuis sibi invicem invisi digladientur inimicitiis; adeoq; aut raræ aut nullæ lites, paucioresque sint, quæ exindè progerminant, querelæ, prudentis Legislatoris laboriosum quidem opus; sed quod, si rectè fiant, naturâ salutarium sanctionum operâ facilius perficitur: In publicis autem secura omnia reddere & pacata, idque curare feliciter, ut nec ab hostibus quicquam impendeat periculi, hoc longè majoris momenti est labor. Nemo nostrum, A. A. qui non vel tacito singultu repetat illorum memoriam vulnerum, quibus ante annos non ita multos miserè conficiebatur Patria nostra. Restant non uno in loco cicatrices, quæ superatum adhuc spirare possint dolorem. Sed eluctata est regionum quælibet, quod vel ipsum minabatur interitum, & regreditur postliminio qs. cuius sua felicitas, quæ sepulta jam & perpetuis damnata tenebris videri poterat.

Adscribendum hoc beneficii genus post DEUM opt. Max. communibus Principum animorum curis, qui vigili sollicitudine eò laborarunt invicem, ut impetrarent tandem, quod frustratæ plus semel Spes ferme denegabant; & restituerent ordini, quæ inter se confusa enormitèr nihil magis respuebant quam ordinem. Tam grave nimirum est medicas adhibere manus malo, quod longiore jam mora invaluit. Adhibitas tamen adhuc & latum esse è medio illud virus eò magis gaudendum

dum. Scio hoc nomine inclutum hunc Württembergiæ Ducatum, Serenissimo Celsissimoq; Principi ac Domino, Dn. EBERHARDO, hujus Nominis III. Domino omnium nostrum clementissimo, non unam erexisse devotionis obsequiosæ Statuam arasq; consecrassè, quas vetustas vix destruet. Idem AUGUSTO, felicitatis suæ Restauratori dudum quoq; præstitit Terra Guelfica. Sed hodie id officii vel de novo repetere convenit, quod cum hac luce fas sit recolere, quodcumq; ab hoc purissimo fonte profluxit beneficiorum; & lætari, quod salutis suæ Autorem serenis adhuc spectare oculis, & salutare tanquam Patrem liceat, eumq; in viridi constitutum senecta. Legimus apud veteres hoc fuisse in moribus, ut, qui vim tempestatis effugerant, salviq; ex procelloso mari pervenerant ad portum, Neptuno servatori non agerent tantum gratias, sed cum votis udas quoq; in templo solenni vestes suspenderent, superati & exantlati periculi testes.

AUGUSTO hoc Principi à suis debetur, & eò magis, quod amoliri quæ noxia, erigere quæ lapsui vicina, quæq; causam minantur reficere nec dum cessat. Madent adhuc à prioribus, quas atrox bellum extorserat, lachrumis plurimorum peccora: hæc Duci & servatori optimo dedicanda tanquam averse tempestatis indices & gratiarum signa. Idq; vel hoc die faciendum cumprimis, ut constet publice & coram omnibus esse qui sibi ipsis gratulentur, primumq; censeant Felicitatis suæ caput, habere in Serenissimo Duce AUGUSTO Principem Pium, Justum, Pacisq; & Quietis Suæ RESTAURATOREM.

Satis hæctenus & diei hodiernæ & eorum in gratiam, ad quos ejus festivitas plurimum pertinet, dixisse videbor. Instituendus jam sermonis flexus, & ipsius quoq; Principis ducenda in arenam FELICITAS. Quanquam enim quæ notata sunt & commemorata prolixè ad hujus quoq; perfectionem faciant & complementum, nec propter arctissimi nexum vinculi rupturam ullam patiantur; restant tamen, quæ si præterire hic velim, aut oscitantia arguendus sim, aut Pietatis, quæ me dicere jussit, minus diligens observator. Sed roganda fortassis venia, quod ad eum, qui circâ ipsum compellendus erat initium, ver-

tatur nunc demum series orationis. Ita est A. A. & cui magis acclamari debuit, quam à quo primo incipit omnis acclamandi materies. Retraxit verò huc usq; tenuitatis infirmę conscientia meq; persuasit dubium, ut maluerim quasi in vestibulo hærere, & spectare è longinquo fortunatam Throni Ducalis sublimitate. Quin & monstranda prius subditis ipsis fuit, qua per optatissimum Principem fruuntur, fortuna, ut in communis gaudii & gratulationis præcommunionem eò venire liceret liberius.

Accessuro autem aliquantò propius, & ipsum Augustę Felicitatis admiranti fastigium, quid aliud incumbat gratulari, quam singularem, eamque unam, DEI ter Opt. Max. in ipsum Principem, ejusq; inclitam Domum Benignitatem? Est hæc ex præcipuis vitę nostrę Regulis & præceptis, ut quęcunque nobis affluunt bonorum, ad eum fontem referamus omnia. Quę verò in Principes conferuntur eò magis divinę decet adscribere bonitati, quod ab hac illos præ aliis curari per quam sit manifestum. Neq; saniori sententię movebo litem, si, quotquot ab immortalis Numine proveniunt beneficia, non nisi dispensante bonorum Principum animo opeq; intermedia contingere asseveravero. Ita scilicet ex manu in manum. Et quo chariorem sibi habet clementia divina aliquem populum, eò pluribus censenda est instruere beneficiis, quem jussit præesse. Hęc omnia cum non immeritò fiant maximi à quovis Donorum coelestium æstimatore, quis non extollat, tot & tanta in uno AUGUSTO Duce documenta? Varia illa sunt & perquam sanè illustria. Ut vero præcipua tantum attingam, quid nisi singulare divini favoris est indicium, quod sanum vegetumque & integris adhuc pollentem viribus comperimur, qui tot vitę, & quidem satis laboriosę egressus est spatia, ut pauci sint quos possis conferre? Dies, qui hodiè illuxit, supra septuagesimum sextus est, cum quo numerare ætatis annos, Natalemq; festivitatem antè hęc visus recolere. Ex quo devolutam in humeros regiminis publici suscepit animosè & versavit molem quinquagesimus jam annus labitur. Cogitate mecum A. A. (si vel maximè difficilima quibus Juventutem exercuit, itinere præteream) quantis conficere animum

curis

curis, quantis vexare ingenium laboribus, quantis totum corpus defatigare vigiliis ærumnisq; oportuerit, qui per tot lustra Reip. clavum non tam per alios, quam ipse, consiliis semper præsentissimis direxit? Nec tamen concussas animi vires, nec fractum vigorem ingenii, nec corpus ipsum, quamvis attentatum frigore, imminutum tamen nimis & debilitatum esse pro manifesto certè coelestis assistentię habendum argumento. Et hoc ad hunc usq; diem à Serenissimo Duce Saxum volvi quis non miretur, dum meliores gravissimis Reip. negociis; plures legendis supplicum libellis; immo non paucas dilectissimis sibi Musis horas impendit, adeoq; intercalari quadam amoenitate concatenatas, quantum licet, interstinguit molestias. Rarum Exemplum! Præ quo meritò repræhendas Galbæ Imperatoris tarditatem, an somnolentiam, qui Senio confectus speculo ejusdem prætextu abstinebat à publicis, allata egregia hac, si Dis placet, ratione, neminem cogi rationem sui otii reddere: Videtur mihi tanti Principis cura ditionum sibi subjectarum respectu non absimilis humani constitutioni corporis. Caput, nobilissimam istius partem, vocaverim suggestum quendam & thronum Reginę Rationis. Undè proficiscuntur faciendorum & fugiendorum Edicta Constitutionesque. Hęc si salva, si intenta muneri, facillè inferiores officia sibi debita exequentur partes, & singulis ita providebitur, ut totum non conservetur modò sed vigeat magis atq; magis & augetur præclare. Idem in provinciis non potest non contingere, quarum artus, ut sic loquar, & membra sollicitis Rectorum curis reguntur pariter & ita foventur, ut animam sumant & vitam, quę vel emortua, vel vix spiritum trahere videbantur.

Debetur hoc quoq; AUGUSTI Principis vigili Providentię & inter cætera non minus divini est judicium favoris, quod terras sibi subditas & firmas opibus, & copiis locupletes. & gloria amplas, & ita undique instructas videri licet, ut cum vicinis non modò, sed pluribus quoq; quas non una dividit intercapedo, certare palmamq; ipsis reddere possint dubiam. Africanus olim cum censor lustrum conderet, in quo solito sacrificio Scriba ex Tabulis publicis Solenne ei precationis carmen præiret, quò Dii immortales, UT POP. RES MELIORES

facerent

facere, rogabantur; satis, inquit, bonæ & magnæ sunt, itaq; precor Ut Eas PERPETUO INCOLUMES SERVENT. Eandem simili votorum, ut Valerius loquitur, verecundia emittet hodiè vocem AUGUSTUS, Dux Serenissimus, qui suis auspiciis, suo Ductu & prudenti moderatione eò deductam jam cernit rerum suarum salutem, ut vix possit melius. Nihil hic adulationi tribuo, quæ à me eò longioribus meritò abest parasangis, quò certius constat, Optimo Principi nihil exosum magis esse quàm id genus hominum. Quæ loquor ex ore publico hausi. Repeto ea publice, quia publice merentur observari. Et sunt sanè hæc omnia ipsorum testimonia civium, qui à laudata Principis felicitate suam aut æstimant unice, aut Felicitatem vix putant, nisi ab illa descendat. Singulari rursus & indubitata divinæ clementiæ nota. Magnum est revereri eum & timere, qui præest; majus vero amare & colere: quod hoc ex præstitis beneficiorum cumulis; illud ex solo poenarum metu trahat originem. Felicissimum nunc AUGUSTUM, qui à suorum cætu non tam aspici curiosis oculis, quam agnosci & gratis suscipi mentibus videt, quæ de salute sua in publicum largitur munificentissimè. Effecit quondam hæc ex amore nata devotio, ut & optimorum cognomen darent, & Delicias humani generis vocarent Principes. Hodiè id præstat, ut qui subiecti sunt, non æque charam, quæ sibi contigit, quam eorum habeant vitam, quibus oportet parere. Memorat Tranquillus, scriptor gravissimus, non nullos Patrum familias testamento cavisse, ut ab heredibus suis prælato titulo victimæ in Capitolium ducerentur, votumq; pro se solveretur, quod AUGUSTUM superstitem reliquissent. Gentilium hæc fuit erga sublunare illud Numen veneratio & Pietas. Eam ex primere putem, qui AUGUSTO Guelfico non victimas quidem, qualis veterum mos erat, moribundi decernunt sed jucundissima beneficiorum moti memoria & precantur bene & sub ulteriori ejusdem imperio cineres quoque suos, regentemque tumulum ab injuriis æque tutum sperant, ut vivos se defensos esse lætantur. Sunt autem qui hoc faciunt absq; dubio quam plurimi.

Accedunt

Accedunt nunc, qui absq; sacrilegio quodam sileri non possunt novi, iiq; primarii benignitatis cœlestis indices. Prior in Serenissima conjugè SOPHIA ELISABETA, Duce Megapolitana. (Cujus dum nomē recito virtutum omne genus recitare me credite:) Junxerat beneficium Numen Pomeranum; junxerat Anhaladinam. Illius quidē per sedecim; hujus vero per undecim tantum annos usu aut delitio potius concessio. Sed ea, quam laudavi jam jam, quò majori videatur Principi optimo nata felicitati, quod per novem jam decemq; temporis annui decursus adstitit ad senium vergentis sollicitudini, præstititq; quod præstare non poterant, quæ fato intercludebantur. Videri possit divina Sapientia Heroinæ hujus in Domum Guelficam deductione toti monstrare orbi voluisse, ea, quæ sunt optima, nō nisi optimis jungi quam optimè. AUGUSTO itaq; nec alii Principum, adduci meruit, quæ tam illustribus instructa & virtutum & scientiarum ornamentis, ut sexus sui exemplar merito habeatur, quin viros ipsos raro non rarò antecellat ingenio. Alter est Florentissima Principalis sobolis spes, Thesarus in illustri domo incomparabilis. Felicem AUGUSTUM tam optata Regii floris in familia regia propagine, qua gratiorem fortunatus æther donare non poterat! Nempe hoc quoq; accedere Felicitatis oportuit ad consummandam, quam semel destinavit, bonorum reliquorum perfectionem. Quæ aut incerta in se aut votis omni ex parte responsura non erant, nisi desideratissimo hoc additamento tanquam tibicine sustinerentur.

Ex Historia constat, ad quantos Alexandrum olim humanæ beatitudinis gradus evexerit fortuna adulatrix. Videbatur tot Regum domitor, tot gentium Dominus supergressus esse omnes felicitatis terminos; in medio tamen victoriarum progressu querebatur hoc unum, quod orbitas sua, quia sine liberis esset, sperneretur. Vidit forsā & ipse non legiones, non classes æque firma Imperii munimenta quam horum esse numerum. Id quod post ipsum notarunt Prudentiores. Quanto feliciorē Alexandro prædicemus AUGUSTUM, cui non aliundè legendi, quos aliquando scribat hæredes, sed versantur in oculis, in ore, in pectore illustrissimæ corporis sui partes. Credam ab harum aspectu tantam hodie enasci lætitiæ segetem, ut major non possit: Nec dubitem

C

bitem ab amoenissimo earundem flore non parum accedere vigoris, quod gravioris soletur non modo fastidium Senectutis, sed tollat prorsus & eas addat vires, quales in mediæ ætatis homine frustra non raro quæsieris. Intuenti Illustrissimam Filiorum Trigram obvehat statim conata præclaræ indolis divinitas. Illinc sistens RUDOLFUS AUGUSTUS, natu & nomine maximus, quam exactè Parentis Virtutes animo exprimat, satis ostendit feliciter. Hinc ANTHONIUS ULRICUS, Princeps ingeniosissimus, promittens de se, quodcunq; Sapientia summum cogitare possit, Mecenas personam videtur induere. Ambobus accedens ætate non animo minor FERDINANDUS ALBERTUS, cœlesti plenè spiritu amplissimam tuendæ Patriæ spem spargit de sese, gloriamq; meditatursuis aliquando meritis propriam. O verè immortalem in tali Filiorum Imagine Parentem AUGUSTUM!

Quantæ porro felicitatis & gaudii argumentum esse statuat, quod ab Illustrissimo, quem prædicare satis non possum, Filio RUDOLFO AUGUSTO, felicissimis auspiciis cum CHRISTIANA ELISABETHA, Barbiensi Comite, virtutis omnis proma-conda, juncto Avus jam factus demulcere mentem possit jucundissimo florentissimæ Neptis contuitu? Quanti materia jubili, quod Celsissimo Principi & Domino, Dn. FRIDERICO Duci Würtembergico, nupta non minus feliciter FILIA, CLARA AUGUSTA, eandem quoq; obtulerit lætandi occasionem? Idque quam nuperrime; cum conjugii felicitatem desideratissimi partus felicitate longè redderet felicior, Serenissimoque Parenti Nepotem, & celsissimo Marito sisteret Filium: illiq; iterum Avi; huic Patris optatissimum Nomen simul cum prole eniteretur.

Cujus posterioris ejusq; auspiciatissimi nexus dum à me fit mentio, quid censetis, Auditores? Num faciat ad excusandam sermonis, in quo hætenus laboravi, audaciam? Prædicavi Felicitatem Guelficam coram spectabili Würtembergica concione. An inmeritò hoc factum suspicer, qui eam felicitatem cum Würtembergio flore constrictam tam arctè interq; se coherentem perspicio? Facit fertilissimus vini in his oris proventus, ut viti comparanda videatur, quæ ipsarum salutis & gloriæ vivit perennatq; Domus incluta. Huic auspiciato junctus Familiæ Guelficæ

Guelficæ splendor tanquam felicitis Ulmi surculus, quid promittat aliud quàm optatam Domus utriusque, cui jam vicina est, Æternitatem? Et felicem me, qui de unius Felicitate quædam locutus, de alterius quoq; excellentia non minus videbor dixisse!

Subjungam vota. Vivat AUGUSTUS, Dux Serenissimus, ut cum ipso de prædicata non emoriatur Felicitas! Abstineat porrò manus suas Fortuna, nec in ipso potentiam suam, nisi eâ parte quâ prodest, ostendat. Imò repetam quod Poeta Imperatori olim cognomini:

*Tarda sit illa dies & nostro serior ævo,
Qua caput AUGUSTUM, quem temperat, orbe relicto
Accedat cælo, faveatq; precantibus absens.*

Vivat AUGUSTUS, ut per ipsum ulterius vivat commendata suorum civium Felicitas! Vivat diu AUGUSTUS, ut ipso superstitite non interrupta diu subsistat DIEI HODIERNÆ Felicitas, datura posthac pluribus argumenta instituendæ celebrationis. Præstetq; hoc benignum Numen, à cujus humanæ sortes dependent arbitrio. Servet tutum, qui tam paternè suos tuctur! Servet incolumem, qui regiones suas ab omni injuria reddit liberas incolumesque. Multorum interest vivere AUGUSTUM. Ut multorum servetur Salus DEUS servet AUGUSTUM! Floreat cum hoc incluta Familia Guelfica! Floreat post hunc in successuro! De quo sanè eò plus sibi promittere habet spei, quod genuit sibi similem & formavit ipse AUGUSTUS. Cumq; cum hac se tam amabili sociaverit vinculo vigor Würtembergicus, floreat hic quoq;! Floreant inter se jucundo quodam certamine perfectionis! Gratuletur Würtembergia Guelfidi; Guelfis Würtembergiæ, & altera suas laurus cum altera dividat, utq; possint dividere, DEUS nunquam jubeat carere. Ita precor. Ita voveo. Favete votis, A. A. & ut rata fiant, mecum precamini. Cæterum pro hujusmodi non tantum devotæ Pietatis officio, sed pro eo quoq; beneficii genere, quo me auscultationis vestræ patientia debitorem constituistis, gratias vobis pollicemini singulares & æternas.

DIXI.

Clariss-

Clarissimo Juris Candidato
ENOCH GLÄSERO
 Serenissimi Brunsvicensium & Lunæburgensium
 DUCIS Encomiastæ.

UT sibi devinxit meritis illustribus orbem,
 Et laude implevit Solis utramq; domum
 Guelfiadæ fortuna Ducis ; Sic docta papyrus
 Grandia Magnamini Principis acta canit,
 Eloquioq; potente tonat, quod nectare tinxit
 Suada suo, & Libyco natus Atlante Nepos.
 Nimirum undantis victrix opulentia lingue
ENOCHE, corda loquens obstupescata trahit
 Attonitumq; trahit Pindum, dum prima juvenza
 Conspicuum supra collocat invidiam.
 Macte animi fer vore tui, Glæsere! triumphat
 Ingenii locuples fulgur & aura tui,
 Sed tu clarorum genitrix secunda virorum
 Slesia magnificum tolle sub astra caput,
 Patria Quadorum & veterum tibi plaude : profecto
 Pascitur in laudes Spiritus iste tuas.

JOHANNES MARTINUS RAUSHER
 Humanitatis PROFESSOR.

Jura poli, rerumq; fidem, legesq; Deorum,
 Ecce Syracusius transtulit arte senex.
 At Ducis **AUGUSTI** præconia summa coegit,
 Ecce Silesiaci Dædala penna viri.
AUGUSTUS Virtute polos, **GLÄSERUS** at exin
 Nonne Syracusium jam superavit opus ?

Johann Conradus Brotbeckius
 Med. D. & Phys. P. P. Tubing.

NOTA.

*Sphalmata, qua absentia Autoris irrepperunt eruditi Lectoris lima simul
 & venim committuntur.*



NAtalem hodie celebramus florentissimi
 huius lycei, atque temporis illius me-
 moriam læti repetimus, quo beatissi-
 mæ recordationis Princeps, **IVLIVS**,
Brunsvicensium & Luneburgensium Dux, ob mi-
 rificam in litteras munificentiam posteritati me-
 morandus, academiam hanc condidit : & quam,
 pro suo in eam tenerrimo amore, filiam suam dice-
 re consueverat, illustri ipsius nomine decoratam,
Iuliam voluit appellari. Centum ac triginta efflu-
 xerunt anni, quo nobile hoc scientiarum & vni-
 versæ eruditionis theatrum ab ipso fuit erectum;
 quo ille ingenii & studiorum sæculi sui Principum
 eminentissimus, æternum hoc gloriæ suæ, digna com-
 memoracione ad sero venturam ætatem transmit-
 tendæ, monumentum, diuino instinctu adflatuque,
 posuit, atque exquisitissimo sollenni que ritu, ac splen-
 didissima pompa dedicavit. Quotannis lux recur-
 rit tam beata, negligentia nequaquam silentio præ-
 tereun-

B